VIRO SUMME VENERABILI

CAROLO GUILIELMO KREBSIO

GYMNASII SUIDNICENSIS PRORECTORI MERITISSIMO

QUINQUAGENARIUM SCHOLASTICI MUNERIS DECURSUM

DIE VI MENSIS FEBRUARII ANN. MDCCCXLIX CELEBRANDUM

GRATULANTUR

GYMNASII MAGISTRI.

Inest disputatio, qua Cicero in libris de oratore scribendis quid ex Isocrate et Aristotele mutuatus sit, ad expl. epist. ad fam. I, 9, 23 examinatur; scr. C. A. F. Brueckner.

SUIDNICII,

Typis Ludovici Heegii.

Memorabilis quaedam veterum opinio fuit, qua, ut quisque fortunatissimus sibi videretur, ita in invidiam maxime deorum[1]) incurrere ferebatur. His enim quum solis conveniret, ut integra usque felicitate gauderent, compescenda esse videbatur eorum temeritas, qui quod altius esset humana conditione affectarent et inani illa fortunae specie decepti, jam nihil amplius ab inconstantia ejus metuendum sibi esse censerent. Quod ut in medio relinquamus utrum recte an secus statuerint[2]), at in hoc certe Soloni, fragilitatis humanae Lydiae regem admonenti, adstipulabimur, ut quae paucis solet contingere aetas provectior, eam multo etiam pauciores ita comparatam sortiri statuamus, quae a susceptis per vitam laboribus aut jucunda transactae aetatis memoria aut fructibus quibusdam inde redundantibus requiescere possit. Quo ferocior enim saepenumero juvenilis aetatis audacia est, quippe nihil nec arduum nimis nec difficile arbitrantis, et in splendidissimis quibusque consiliis maxime sibi placentis, eo tristior esse solet et afflictior languescentis jam senectutis conditio, quam multa per vitam inania fuerint et quam acerbe crebro spem frustratus sit eventus, recordantis. Unde est sane quod laetemur, si quis per longius vitae spatium hunc tandem laborum et studiorum suorum fructum consecutus est, ut et sibi et aliis satis fecisse et in suam suorumque laudem, in amicorum honorem et in patriae salutem vixisse dicatur, ut qui eorum inde compos sit factus bonorum, quae per nominis memoriam ne mortuo quidem eripi possint.

Talem vero tantumque meritorum fructum jam gratulamur Tibi, Vir summe venerabilis, quinquagenarii muneris spatium emenso contigisse, et ita gratulamur, ut facere in eo nobis videamur, quod non solum pietas et longior conjunctae operae nostrae societas, sed etiam, quae haud scio an sanctior etiam sit justitia fieri jubeat. Ingenii enim multis et praeclaris facultatibus, eruditionis haud vulgari copia et varietate et assiduo juventutis ad omnem doctrinae elegantiam formandae studio quam per quinquaginta annos Tibi laudem collegisti, qualis et quanta censenda sit, quos magis decet agnoscere quam nos, qui, ejusdem muneris consortes, e laude illa pluri-

[1]) Notum illud Herodoti *τὸ θεῖον πᾶν φθονερὸν καὶ ταραχῶδες* I, 32 cfr. III, 40 et VII, 46. Cui apprime respondet Pind. Isthm. VI, 39 *ὁ δ' ἀθανάτων μὴ θρασσέτω φθόνος.*

[2]) Neque omnes ita sentiebant. *Φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται* videbatur Platoni Phaedr. p. 247, A. Et mundum qui condidit *ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος.* Tim. p. 29, D. Cfr. Aristot. Rhet. II, 9, 2.

mum ipsi profecimus? Benigne igitur, ut soles, hoc qualecunque est muneris accipias, quod si minus dignum est hujus diei solemnitate, at aliquam tamen inde habebit excusationem, quod et officii et reverentiae amorisque erga Te nostrae tesseram eam esse voluimus. Sed qui mos est ejusmodi scriptionum quum e literarum simul studiis in medium proferri jubeat, quod eorum, qui non prorsus despiciunt hoc genus, in aliquod tempus animum advertat, e libris Ciceronis, qui sunt de oratore, disputandi quoddam argumentum petivimus.

Scriptos esse constat hos libros a M. Tullio Quinto fratre hortante (I, 1, 4), qui quum eloquentiae ambitum angustioribus finibus circumscribendum nec nisi in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendum esse judicasset, in hoc autem M. Ciceronem adversarium habuisset, eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuentem, viri omnium eloquentissimi clarissimique quid sensissent de omni ratione dicendi, expositum sibi ab illo voluerat[1]) (I, 2, 4. 5). Atque alius plane generis liber expectabatur, quam ille fuit de inventione antea editus, quem ipse Cicero adolescentulo sibi e commentariis suis rudem et inchoatum excidisse confitetur (I, 2, 5), ut qui pariter atque simillimus ille, ab incerto auctore ad Herennium perscriptus, ita comparatus esset, ut ex solis rhetoricae artis scholis prodiisse videretur[2]). Has enim scholas, quantacunque cupiditas erat, qua expeterentur, in usum tamen forensem non defuerunt qui minus idoneas haberent, et aliud plane in eloquentia agi censerent, quam quod in pulpitis magistrorum traderetur. Unde in medio judiciorum et concionum strepitu qui palmam sibi eloquentiae meruerant, non inanis quaestio erat, quid judicassent de arte dicendi. Soli enim hi perspicere posse videbantur, quid profici ex arte rhetorica liceret.

Sed singulares praeterea Cicero in epistola anno postquam libri de oratore in lucem emissi sunt[3]) ad Lentulum perscripta (ad fam. 1, 9, 23) auctores laudavit,

---

[1]) Haec enim causa scribendi etiamsi ficta est a Cicerone, at scriptionis tamen ipsius consilium luculenter inde apparet. Ad eloquentiam enim quid requireretur, quaestio fuit inde ab artis rhetoricae primordiis agitata, quam quod ita jam exeutiendam sibi esse putavit, ut quam plurima in oratorem conferret, fieri non potuit, quin in ipsius laudem verteretur, ut qui reliquos omnes Romanorum oratores facundia non magis quam eruditionis copia et varietate superaret.

[2]) Quintil. III, 6, 59 „Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat scholae; et si qua est in his culpa, tradentis est."

[3]) Scripta enim haec ad Lentulum epistola pariter atque illa ad Quint. fr. III, 5, 1, in qua et ipsa librorum de oratore mentio fit, mense Octobri anni 53 a. Chr. videtur (Gruber de tempore atq. serie epistolarum Ciceronis p. 9). Sed absoluti illi libri erant jam anno superiore. Patet enim ex epist. ad Att. IV, 13, 2, eos, postquam diu multumque in manibus Ciceronis restiterint, ut diligentius ab eo emendarentur, ad Atticum, qui describendos eos curaret, missos esse inter XV et XIX diem m. Novembris anni 54 a Chr. Ad Att. IV, 16, 2 autem significatur, quomodo ab Attico excepti fuerint.

libros eos dicens non solum abhorrere a communibus praeceptis, sed etiam omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complecti. In quo a communibus praeceptis quod dixit eos recedere, quum non alia intelligi possint, nisi vulgaria rhetorum, qui tum fuerunt, praecepta, iis ipsis explicatum est, quae de consilio librorum paullo ante monuimus. Huic autem consilio num Isocratis quoque et Aristotelis doctrina ita conveniebat, ut hos simul, quum a communibus praeceptis abhorreret, auctores Ciceroni sequi liceret? Haec quaestio non ita facile profligari posse videtur. Isocratis enim ut statuamus sufficere quae supersunt orationes ad cognoscendam ejus doctrinam, neque desiderari magnopere artem rhetoricam, quae nomine ejus apud antiquos circumferebatur, quae tamen num ab ipso Isocrate conscripta esset, et Cicero et Quintilianus dubitabant[1]), neque opus esse ad Aristotelis disciplinam rhetoricam intelligendam nisi qui exstant hodie tres Rhetoricorum libri[2]), communia autem illa praecepta, quae Cicero dixit, praeter ea, quae Crassi ore de orat. I, 31 sqq. referuntur, in libris de inventione et in Rhetoricis ad Herennium contineri, num ab his initiis si proficisci iisque quasi fundamentis reliqua omnia superstruere licet, M. Antonium et L. Crassum statim dicemus aut Aristotelis aut Isocratis sectatores fuisse? Id vero ut quavis fere pagina Ciceronianae scriptionis negatur, ita difficultates quaestionis etiam augeri videntur, quod ea inter ipsum Isocratem et Aristotelem sententiarum discrepantia fuit[3]), ut utriusque doctrina conjungi vix posse videretur. De forma autem dialogi in illa, quam Cicero secutum se esse ait, Aristotelis ratione cogitare nos vetat tum quod oratoriam rationem dixit, tum quod Isocratis adjecit mentionem, qui forma nunquam illa dialogi usus est. Nec Cicero tamen, etiamsi non omnem referre potuit et Isocratis et Aristotelis rationem ita mentitus esse censendus est in epistola illa ad Lentulum scripta, quin vel in argumento librorum de oratore vel in via et ra-

---

[1]) Nam Cicero (de invent. II, 2, 7) Isocratis se invenire negat, quam constet esse artem, Quintilianus (III. 1, 14) vero et Isocratis et Aristotelis artem quidem esse dicit, licet pluribus eam libris Aristoteles complexus sit, sed idem (II, 15, 4) rhetorices, quam vim persuadendi (πειθοῦς δημιουργόν) Isocrates dixerit, definitione allata, adjicit „si tamen re vera ars, quae circumfertur, ejus est.“ Quae res nunc in medio relinquenda est. Illo autem librorum de invent. loco quae dixit Cicero, si ad libros quoque de orat. traducere licet, Isocratis ars, etiamsi genuina fuit, non ad manum tamen Ciceroni fuisse videtur. (Cfr. Spengel Τεχνῶν συναγωγή p. 155).

[2]) Rhetorica ad Alexandrum huc non pertinere, nemo non videt. Quae quemcunque tandem auctorem habent, ab Aristotele certe non conscripta sunt. Neque dubium videtur, quin Rhetoricorum tres libri maxime respiciendi hoc loco essent, etiamsi quae potissima sunt reliqua ejus de arte rhetorica opera (Theodectea et Technographorum priorum collectio) superessent. Technographorum tamen collectionem usurpatam esse a Cicerone constat e libris de invent. II, 2, 6. de orat. II, 38. 160. Brut. 12. 46.

[3]) De qua sufficiat nunc ipsum Ciceronem laudasse. Orat. 19, 62. 51, 172. de off. I, 1, 4.

tione, qua singula quaeque descripta sunt, nonnulla deprehendantur, quae vel ad Aristotelis vel ad Isocratis similitudinem quandam accederent. Hanc autem similitudinem primum in ampliore illa oratoriae artis notione ejusque cum reliqua eruditione maxime philosophia necessitudine, deinde in judicialis eloquentiae ratione, tum in artis rhetoricae ad perficiendum oratorem ponderandâ vi, denique in singulis quibusdam, in quibus vel Isocratiae vel Aristoteliae doctrinae vestigia comparent, reperimus.

„Ab Isocratis et Aristotelis aetate quum duae quasi exortae essent familiae, quarum altera quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et praeceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quae commode dici videbantur, in suas artes contulerunt.“ (Cic. de inv. II, 3, 8). Quam conciliandarum partium operam si quaeratur quis susceperit, Hermagorae illius majoris[1]) se offert nobis nomen, qui quum et quaestionis et causae controversiam esse statueret, in qua versaretur ars rhetorica, illa autem omnem de quacunque re, in qua non de certis quibusdam personis quaereretur, disceptationem intellectam vellet, rhetoricam artem eum ad philosophorum quoque disputationes traducere voluisse[2]) credibile est. Ipsam tamen rhetorum et philosophorum contentionem inde non compositam esse, ex iis apparet, quae ex ore Mnesarchi Stoici et Charmadae Academici, quorum uterque despectui pariter habebat oratoriam artem, a Cicerone referuntur (de or. I, 11, 46. 18, 83. 19, 84. 85. 87). Ciceroni autem neque cum Hermagora conveniebat, quamquam hujus potissimum auctoritatem in libris de inventione secutus esse a Quintiliano[3]) traditur, neque cum philosophis illis, ut qui parum fere tribuerent oratoriae disciplinae, et „una paene voce repellere oratorem a gubernaculis civitatum, excludere ab omni doctrina rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudere et compingere solerent“ (I, 9, 46), sed facultatis oratoriae sic prolatavit orbem, ut nihil fere ex universa doctrina ad eam non pertinere judicaret. Dicendi enim virtutem, nisi ei, qui diceret, ea, de quibus diceret, percepta essent,

---

[1]) Inter majorem enim et minorem Hermagoram distinguendum esse, e Quintiliano inprimis apparet. Hermagoras minor, Theodori Gadareni discipulus, Ciceronis aetate posterior est. Spalding ad Quintil. III, 1, 18. Hujus esse videntur qui ab auctore dialogi de causis corr. eloq. memorantur aridissimi commentarii. Cfr. Maximus Planudes in schol. εἰς στάσεις Tom. V. p. 337 Rhet. Gr. ed. Walz. Hermagoras contra major ex aequalibus Ciceronis, quamvis senioribus, fuerit. Plutarch. Pomp. c. 42. Quintilianus virum eum dicit subtilem et in plurimis admirandum (III, 5, 14), et post Stoicorum et Peripateticorum, qui rhetorum in hoc genere aemuli extiterint, velut propriam eum viam fecisse, quam plurimi secuti sint. (III, 1, 16. cfr. III, 11, 18).

[2]) De or. I, 31, 138. II, 15, 65. 19, 78. Quintil. II, 21, 21 „Hermagoras quoque dicendo materiam esse in causa et in quaestionibus, omnes res subjectas erat complexus.“ cfr. Quintil. III. 5, 5.

[3]) III, 11, 18 „Nam in rhetoricis“ (h. e. in libris de inventione) „Hermagoram est secutus.“

exstare non posse ajebat (I, 11, 48). Quem locum nemo nescit quam studiose Cicero inprimis Crassum pertractantem fecerit, qui quae in primo et tertio libro disputasse dicitur, vel maxime eo referenda sunt. Totius vero disputationis summa haec esse videtur, dicendi, cogitandi et agendi unam eandemque esse sapientiam, neque probandum esse, quod inde a Socratis temporibus [1]), sejunctis jam doctrinarum spatiis, philosophi et rhetores in suas utrique partes abierint.

Ita vero quae in libris de oratore disputata sunt, si cum Aristotelis et Isocratis doctrina contuleris, similia ab Aristotele, et eadem fere ab Isocrate tradita reperies. Aristoteles enim quamquam non ad omnem doctrinam pertinere volebat artem rhetoricam [2]), angustioribus tamen quod vulgo circumscriberetur finibus et leviora quae essent copiosius tractarentur [3]), alia autem, quae maxime constituerent artem [4]), omitterentur reprehendebat. Rhetorice enim quum in argumentandi et demonstrandi primum arte versaretur, fieri non posse, quin ad dialecticam revocanda esset, unde Topicorum inprimis et Analyticorum libros [5]) laudandos esse censebat, deinde quum animi movendi essent audientium, ethicam in usum adhibendam, neque denique politica arte [6]) supersederi posse, quum de rebus administrandis civilibus dicendum esset. Arctissimum inde rhetoricae arti cum philosophia nexum intercedere statuebat, et quum duo potissimum respicienda oratori viderentur, primum quid et deinde quomodo dicendum esset [7]), prius illud, quippe quod gravius esset, in duobus prioribus libris multo copiosius quam posterius, cujus in tertio locus est, explanavit. Cicero igitur quod et ipse artem rhetoricam ad duas illas quaestiones, quid et quomodo dicendum esset, quarum tamen priorem illam graviorem habebat, revocandam esse [8]), praeterea autem carere oratorem non posse existimavit neque subtilitate disserendi, e dialectica repetenda [9]), neque animorum commovendorum facultate [10]), cujus viam monstraret ethica doctrina, neque argumentorum inveniendorum sollertia, quae topicis praeceptis juvaretur [11]), aut petivit ex Aristotele, aut doctrinae tamen ejus convenientissime exposuit.

---

[1]) De or. III, 16, 59.

[2]) Nam aliud est, quod initio Rhet. dixit rhetoricam et dialecticam artem *ἁπάντων εἶναι γνωρίζειν. Πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον καὶ ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσιν.*

[3]) Rhet. I, 1, 3. 4. 5. 9. 10. cfr. de or. III, 20, 75.

[4]) Enthymematum sive syllogismorum rhetoricorum doctrina. Rhet. I, 1, 3. 11, 2, 7.

[5]) Rhet. I, 2, 7—9. 18. 4, 5.

[6]) Rhet. I, 2, 7. 4, 5.

[7]) Rhet. III. 1, 1.

[8]) de or. II. 27, 120.

[9]) de or. I, 15, 68.

[10]) de or. II, c. 51—53. I, 15, 69. 12, 53.

[11]) de or. II, 39, 163—41, 177. Quae tamen magis iis conveniunt, quae Cicero postea in Topicis suis quam iis quae Aristoteles ipse disputavit.

Sed plus etiam dicebam Ciceroni cum Isocrate convenire. Cujus sane diversa plane ab Aristotelis doctrina ratio fuit. Nam ille, quum in philosophia plurimum elaboraret, neque rhetoricen nisi propter nexum ejus cum philosophia tractandam sibi sumsisset, — nam Isocratis quod aemulatione ad eam delatus fuisse dicitur [1]), ex hoc ipso explicandum esse videtur — ita tantum judicare poterat de rhetorice, ut doctrinae eam rationem tueri posse negaret, nisi adjutricem philosophiam haberet, Isocrates vero, quippe e Gorgiae disciplina profectus [2]), dicendi et agendi cogitandique artem eandem habebat (Cic. de or. III, 16, 59), planeque consentiebat cum Cicerone, discidium illud quasi linguae atque cordis, ut alii homines sapere alii dicere docerent, vehementer improbante (de or. III, 16, 61). In Isocratis autem rationem ut paulo accuratius inquiramus, monendum primum est, philosophiam eum ipsam doctrinam suam appellare. Quamquam non multum inde ad rationem ejus proficitur. Philosophiam enim Isocrates non suam tantum sed sophistarum quoque doctrinam dixit (ad Nic. § 51. Nic. § 1. 9. Evag. 8. 81. Paneg. 47 sq. Busir. 1. 49. de Antid. 10. 41. 45. Enc. Hel. 67). Idem tamen philosophiam, quae a multis perperam dicatur, a nominis vindicaturus abusu (antid. 270. 285), non in scientia quadam (ἐπιστήμῃ) versari, sed in opinionibus e rerum probabilitate derivatis (de antid. 270. contr. soph. 8) sapientes vero esse dicit, qui opinando plerumque quod optimum sit, invenire possint (de antid. 271), et philosophos, qui in iis, e quibus ejusmodi prudentia inprimis hauriatur, operam suam ponant (ibid.) Haec igitur quum ad res potissimum domesticas et publicas referenda sit (de antid. 285), si argumenta dicendi usque eligantur proba et honesta, eam ad honestatem quoque et virtutem valere, nec tantum dicendi, sed etiam sentiendi et cogitandi bene facultem inde exsistere (de antid. 275—282). Hinc in instituenda quoque juventute ut arte gymnastica corpus ita philosophia sive arte dicendi animum excolendum esse, reliquarum vero disciplinarum ad eam non esse nisi secundarias quasdam partes. (de antid. 180—182 sq.). Quidquid igitur vel ad morum honestatem pertineret, vel ad vitae maxime civilis [3]) moderationem, quidquid praeterea ad mentem acuendam et salubri doctrina locupletandam, haec omnia in arte dicendi contineri putabat. Unde Crassi in libris de oratore nihil non vel facultatis vel eruditionis oratori tribuentis si mirabilis esse videtur sententia, at minime tamen nova fuit, et si quid est ex anti-

---

[1]) Diog. L. V, 3. Cic. de or. III, 35, 141. Tusc. I, 4, 7. Spalding ad Quintil. T. I. p. 428.

[2]) Dionys. Hal. de Isocr. c. 1. Vit. X orat. p. 827, F. Cic. de senect. 5, 13. Orat. 52, 176. Primus autem Isocratem Gorgiae discipulum dixisse videtur Aristoteles in eo fortasse libro, e quo Cicero (Brut. 12, 48) sua hausit. Vid. Quintil. III, 1, 13 et Spalding T. I. p. 427. Caeterum Gorgiae quae sententia fuerit, rhetoricam artem λέγειν δυνατὸς reddere eosdemque φρονεῖν δυνατὸς vid. ap. Plat. Gorg. p. 449, E.

[3]) Ipsa quoque vitae civilis initia ex eloquentia ab Isocrate repetebantur. In quo valde memorabilis locus est Nicocl. § 6 et 7, iis, quae a Cicerone disputata sunt de or. I, 8, 33 tam similis, Ciceroniana ut plane expressa ex illis esse videantur.

quiorum scriptorum monumentis, quo illustrari possit, est profecto Isocratis illa ratio, qualis ex orationibus ejus cognoscitur.

Sed Cicero ut in universa facultatis oratoriae descriptione ad Aristotelis et Isocratis rationem revertisse dicendus est, ita de forensi quoque eloquentia in eum modum exposuit, ut hos magis quam vulgares artis magistros auctores sequeretur. Nam quae tripartita fuit rhetoricae artis descriptio, eam etiamsi plerumque ita tenuisse illi magistri videntur, ut deliberativum et demonstrativum genus judiciali adjungerent, judiciale tamen id fuit, quod reliquis duobus multo uberius tractaretur[1]). Ambitus vero ejus Ciceronis aetate latius descriptus erat, illa de statibus sive constitutionibus causarum doctrina inventa, qua in causa quaque quid ageretur ad singulares quasdam rationes revocaretur. (ad Her. I, 11, 18. Cic. de inv. I, 10, 13). Quam doctrinam constat tanto studio non solum in libris ad Herennium et de inventione, sed a posterioribus quoque artis rhetoricae magistris explanatam esse, ut et Quintilianus et Hermogenes et scholiastae Hermogenis cumprimis in ea elaborandum esse judicarent.

In libris de oratore dici quidem non potest deliberativum et demonstrativum genus uberius tractatum esse[2]). Neque in libro secundo, in quo potissima artis pars absolvitur, est, de quo copiosius quam de judiciali genere disputetur, quo non aliud erat, quod usus vitae magis requireret. Sed primum alia est, qua de hoc genere agitur, ratio, neque ea a doctrina de statibus causarum pendens, deinde autem loci non desunt, in quibus reprehendantur, qui omne eloquentiae momentum ad judicia pertinere existiment. Haec enim Crassus I, 46, 202: „Non causidicum nescio quem neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus“ etc. III, 20, 75: „Omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculi. Scribunt enim de litium genere et de principiis et de narrationibus.“ Cfr. III, 21, 81. III, 24, 92: „Instrumentum forense, litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicum est.“ In iis autem, quae libro sec. ab Antonio de arte ipsa disseruntur, mentio quidem fit doctrinae de constitutionibus (II, 25, 108), sed hoc tantum consilio, ut ab ea discedatur et alia ad institutionem oratoriam via monstretur. (II. 22, 90. 24, 99. 27, 115, 27, 120. 28, 121).

Iam si quaeramus, quid vel Aristoteles vel Isocrates de iis judicaverit, qui quum oratorem se instituere profiterentur, in oculis tamen non haberent nisi causidicorum artes, vehementissime utrumque ab iis dissentire reperimus. Nam ut primum dicam de Aristotele, is vero in ipso operis exordio eo potissimum nomine vulgarem rhetorices tractandae rationem reprehendendam esse existimavit, quod neglecto fere

---

[1]) Huic enim integri fere et libri duo priores ad Herennium et Ciceronis libri de invent. tribuuntur; pauca de inventione in deliberativo, pauciora etiam in deliberativo genere disputantur (III, c. 2 — 5, 6, 10 — 8, 15). Neque uberius disputatur de his partibus ap. Cic. de inv. II, 51, 156 — 59, 177.

[2]) vid. II, 81. 333 — c. 85. Demonstrativum adeo genus minus necessarium judicatur, licet Aristoteles adjunxerit (II, 10, 43).

deliberativo genere, de solo propemodum agi soleret judiciali, quippe quod aliena (*τὰ ἔξω τοῦ πράγματος*) afferendi plus opportunitatis faceret (I, 1, 10). Iam quid sit, in quo versetur eloquentia judicialis, diligentissime quidem in sequentibus expenditur, et quum largior esset in eo disserendi materia, copiosius etiam quam de reliquis generibus dictum est, sed alia plane quam in posterioribus rhetorum libris explicandi ratio est, quamquam fuerunt, qui doctrinae de constitutionibus causarum initia ad Aristotelem [1]) revocarent. Aristotelis autem a Cicerone hoc ipso loco rationem habitam esse, luculenter apparet tum ex aliis quibusdam locis, in quibus utriusque magna consensio est, tum e II, 36, 152, ubi Catulus Antonio dicere fertur „Sed Aristotelis is, quem ego admiror, posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur; a quo quidem homine jam dudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti, quod quidem mihi magis verisimile videtur." Cfr. II, 38, 160 et 39, 162.

Aristotele autem haud scio an magis etiam Isocrates eorum improbaverit rationem, qui in judiciis potissimum locum eloquentiae esse contenderent. Qui quamquam et orationes aliquot in usum judiciorum conscripserat priori aetate, et inter adversarios habebat, qui quod rabulas tantum et calumniatores informaret, non dubitarent ei objicere [2]), tamen id genus postea non solum se reliquisse, sed ne attigisse quidem unquam contendit [3]), statimque quum scholam suam aperuisset, in oratione contra sophistas scripta impugnavit. Itaque eloquentiam illam quae regnaret in judiciis, tantum abfuit, ut pro potiori parte haberet oratoriae artis, ut reliquis omnibus generibus posthabendam eam esse dictitaret, eosque qui ad causas tantum agendas instituerent alios, molestissimum nominum sibi elegisse perhiberet, quod iis magis conveniret, qui invidiam arti contractam vellent, quam qui ejusmodi institutioni praeessent [4]) (contr. Soph. § 19).

Cicero autem si in libris de oratore cum Aristotele et Isocrate primum in eo consentiebat, quod aut universalem quandam aut a philosophia certe non sejungendam doctrinam oratoriam, deinde quod neque eloquentiam ad causas forenses rejiciendam neque artem dicendi ad illam de constitutionibus causarum doctrinam revocandum esse statuebat, sponte apparet, in censenda quoque artis ipsius vi consensionem quandam deprehendi. Artem vero intelligimus eam, quae a rhetoribus vulgo tradita, quantum valeret ad instituendum oratorem, immoderatius saepenumero jactabatur. Tantum vero non tribuisse Ciceronem rhetoricis praeceptis, non solum ex iis sequitur, quae antea

---

[1]) Gerh. Vossii Inst. Orat. p. 115. 175. 177.

[2]) Isocr. de antid. § 41. cfr. 15. 30. 35. Demosth. in Lacr. § 15. 40. 41. p. 928 et 937.

[3]) de antid. § 27. cfr. 3. 4. 26. 33. 40. 42. 151. Panath. § 3.

[4]) *οἵτινες ὑπέσχοντο δικάζεσθαι διδάξειν, ἐκλεξάμενοι τὸ δυσχερέστατον τῶν ὀνομάτων, ὃ τῶν φθονούντων ἔργον ἦν λέγειν, ἀλλ' οὐ τῶν προεστώτων τῆς τοιαύτης παιδεύσεως* etc.

disputavimus, sed e multis quoque librorum de oratore locis, in quibus rhetorum isti disciplinae quae vitio verti possint, acerbius perstringuntur. Neminem enim artis scriptorem ne mediocriter quidem disertum fuisse (de or. I, 20, 91), pervulgata eos praecepta decantare, cum ipsi nunquam forum, nunquam ullum judicium adspexerint (II, 18, 75), doctrinam eorum perridiculam esse (II, 19, 78), ipsos inter se magnopere dissentire, membra enim eloquentiae aliter ab aliis digeri (II, 19, 79), diligenter penitusque causa ut cognoscatur in ludo non praecipi (II, 25, 100. 30, 132), neque mittendum esse ad rhetorum hebes atque impolitum genus (II, 31, 133), nisi hominem plane rudem, homini subacti ingenii aliam disciplinam opus esse (II, 39, 162), ridiculos igitur esse, qui se horum, qui nunc ita appellentur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrentur (III, 14, 54), atque rhetoricos libellos minime omnem eloquentiam complecti (III, 31, 122. cfr. III, 24, 93. 31, 125. 32, 126. 34, 138). Ita vero quae exprobrantur rhetorices doctoribus, ad quaestionem potissimum redeunt, jam inde ab antiquioribus temporibus [1]) agitatam, num ars eloquentia censenda sit, an ingenii tantum facultas, an vero usu inprimis et exercitatione contineatur. (Cic. de inv. I, 1, 2. ad Herenn. lib. I init.). In quo Ciceronis haec sententia fuit, ut facultate eloquentiam praeclaram, arte mediocrem diceret (de or. II, 7, 29), et artis praecepta tametsi non spernenda essent (I, 6, 23), eadem tamen non tanti fieri debere contenderet, quin orator, qualis esse deberet, multo etiam plura et graviora vel naturae accepta referret vel usui et exercitationi.

Ab arrogantia autem eorum, qui nihil non persuadere sibi ex artis praeceptis posse videbantur, Aristoteles quoque longissime aberat. Neque enim sophistarum [2]) probabat rationem, qui artis esse crederent, *εἰς ἐπιστήμας* etiam *τῶν ὑποκειμένων πραγμάτων* advertere, neque ut persuaderet requirendum esse judicabat ab oratore, sed tantum ut videret, quae ad persuadendum accommodata essent (*τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανά* I, 1, 14). Quamquam arte num contineretur eloquentia, an facultate a natura profecta, an usu et exercitatione minus ei quaerendum esse videbatur. Utcunque enim passim castigavit technographos [3]), non propterea tamen castigavit, quod naturae et exercitationi parum tribuerent, sed quod ipsam artem perversius tractarent. Natura et exercitatio quid valerent ad perficiendum oratorem, neque dixit usquam, neque apposite ad rationem suam dicere potuit.

Eo apertior autem et manifestior Ciceronis est in hoc genere cum Isocrate consensio. Qui quamquam in concione ipse nunquam [4]) locutus est, neque fuit nisi magister dicendi, a nimio tamen artis pretio statuendo vehementissime abhorrebat. In quo quam modestiam prodidit, duplici de causa necessaria ei videbatur, primum ut

[1]) Rhetorica utrum *τέχνη* an *ἄτεχνος τριβή*. Plat. Phaedr. p. 260, E. 270, B.

[2]) Rhet. I, 4, 6.

[3]) Rhet. I, 1, 3. 9. 2, 5. III. 13, 2. 5. 16, 4.

[4]) Negavit adeo se oratorem esse, *ἀφυέστατον* enim se esse civium *πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι*. Philipp. § 81. Panath. § 9. contr. Soph. § 11. de antid. § 189.

importunam vulgarium magistrorum jactationem reprimeret, rectiusque de ea re sapere eloquentiae studiosos doceret, deinde ut eorum dilueret criminationes, qui quum nimium arti tribui viderent, plane nullam eam esse dicerent. Utrorumque enim ratio quum justum excedere modum videretur, rhetorices pretium tum ne nimium illa sibi arrogare censeretur restringendum, tum ne de mentita prorsus doctrina suspecta fieret, defendendum et vindicandum esse videbatur. Insignem igitur in eloquentia laudem quum multi consecuti essent, qui artis manifesto expertes, ingenio tantum et usu valuissent, ipse vero, vocis exilitate et animi timiditate in perpetuum a concionum turba et strepitu repulsus, naturae quantum momentum esset sensisset, primum locum ad conformandum oratorem obtinere ingenii facultatem, secundum usum et exercitationem, et tertium demum artem, profiteri non dubitavit. Sana enim magistri ratione utut institui aliquis posset tum ad cognoscendas et usurpandas suo loco dicendi formas, tum ad cogitandi subtilitatem et vivendi honestatem, haec tamen nondum sufficere, ut ῥητορικός aliquis evaderet et a vero oratore quae requirerentur perficeret. Artis vero hoc pretium esse, ut a natura satis instructos qui oratoria facultate informandos se ei tradidissent, singula quaeque facilius invenire et ad certam quandam rationem referre doceret, facultatibus autem ingenii minus praeditos, etiamsi non oratores bonos faceret, at in sapientiae tamen studio longius proveheret (contr. soph. § 15. 16).

Idem vero in hoc praeterea sensisse Isocrates et Aristoteles cum Cicerone statuendi sunt, quod omnem illam quaestionem, num ars habenda esset rhetorica, ex eorum, in quibus versaretur, natura excutiendum plane similiter esse judicabant. Ars enim a Cicerone negatur esse ulla, nisi quae cognitis perspectisque atque ab opinionis arbitrio sejunctis scientiaque comprehensis contineatur (de or. I, 20, 92. 23, 108). Varia autem esse et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera oratoriae dictionis. Denique artem earum rerum esse, quae sciantur, oratoris autem omnem actionem opinionibus, non scientia contineri. Quae quidem omnia Isocrates ita probavit, ut omnem scientiam (ἐπιστήμην) alienam esse existimaret ab arte rhetorica neque admitteret nisi opinandi probabilitatem[1]) (ταῖς δόξαις χρῆσθαι), quamquam δοξαστικῆς[2]) quoque ψυχῆς non mediocrem facultatem esse censebat, Aristoteles autem oratori quae tractanda essent, et ipse τὰ εἰκότα et τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνοντα καὶ ἐνδεχόμενα appellavit.

Hae igitur tres rationes fuerunt, quae quum totius de oratore scriptionis consilium et argumentum constituerent, Ciceronem maxime permovisse videntur, ut in illa ad Lentulum epistola Isocratis imprimis et Aristotelis se auctoritatem secutum esse diceret. Hujus vero auctoritatis alia praeterea nonnulla vestigia exstant, quamquam dificile est distinguere, quae vel ex ipso Isocrate et Aristotele vel ex aliis scriptoribus, qui usi illis fuerant, a Cicerone recepta fuerint.

---

[1]) contr. soph. §. 8. de antid. § 271. Similia sane multa constat apud Platonem quoque de sophistarum doctrina reperiri. Phaedr. p. 260, A. 267, A. Gorg. p. 454, B.

[2]) contr. soph. § 18. Videndum est tamen, num pro δοξαστικῆς scribendum sit στοχαστικῆς. cfr. Plat. Gorg. p. 463, A.

Et ad Isocrateae quidem doctrinae similitudinem primum accedunt, quae de or. III, 43, 171 de continuatione verborum dicuntur. Quae quum duas maxime res complecteretur, primum collocationem, deinde modum quemdam formamque in numeris solutae orationis quaerendam, collocationis esse dicitur componere et struere verba sic, ut neque asper eorum concursus neque hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. In quo sane non ipsum laudavit Isocratem, neque dubium illud est, quin plures fuerint artis rhetoricae magistri, qui in hoc genere quid observandum esset, praeciperent, sed in Oratore tamen Isocratem auctorem appellavit, neque quemquam diligentius eo sive hiatum sive in concursu consonantium literarum, quae esse posset, asperitatem vitasse constat. In iis vero, quae paullo post de numeris monuit, quibus soluta quoque adstringenda esset oratio, non solum laudavit Isocratem, sed etiam ita laudavit, ut totam adeo rationem ab eo inventam[1]) esse diceret. Minutior visa est opera, quam summus in dicendo artifex ad ἀντιθέσεις illas, παρισώσεις et παρομοιώσεις contulerat. „Illa enim, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia" obiter tantum inter reliquas dicendi figuras commemorantur (III, 54, 206)[2]). Magis idoneus rei tractandae locus erat Orat. 49, 164—50, 167.

Leviora sunt, nec nisi ita fortasse explicanda, ut imprudens fere Cicero, quae ab Isocratis lectione in memoria ei resedissent, in libros de oratore receperit, quae praeterea aliquam cum Isocratis ratione comparationem admittere videntur. Quo pertinent primum ii loci, in quibus scribendo quid proficiatur ad oratoriam facultatem exponitur (de or. I, 33, 150. II, 23, 96). Ad scribendum enim quamquam legere me non memini, ubi Isocrates inprimis cohortatus sit, ipse tamen quid profecerit in arte oratoria, scribendi tantum assiduitate et diligentia proficere potuisse, ex ipso ejus dicendi genere intelligitur. Neque ut haberentur, orationes suas conscripsit, sed ut legerentur sive praelegerentur. Hinc tum qui partes ejus sequebantur, ἀναγνωστικοὺς[3]) appellatos esse constat, tum ipse quid metueret sibi ad orationum existimationem ab eorum, quibus recitandae essent, incuria et negligentia profiteri non dubitavit. (Phil. § 26 et 27).

Non minus ex Isocratis sententia expressa esse videntur, quae de or. III, 26, 104—30, 120 de rebus ornando amplificandis traduntur. Quod quum aut in augendo aut in extenuando et abjiciendo locum habere dicatur, cui non in mentem veniat, Isocrates quod dixit Paneg. § 8 eam orationis naturam esse, ut posset περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι

---

[1]) Aliis locis alios inventores memoravit. Orat. 13, 40. Versus autem, ait, veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. de or. III. 44, 173.

[2]) Oratio, Crassus praecipit de or. III, 26, 103, suavitatem habeat austeram et solitam, non dulcem atque decoctam.

[3]) Aristot. Rhet. III, 12, 2. 5 Bernhardy Grundriss d. gr. Literaturgesch. Tom. 2 p. 605.

etc.[1]). Accedit quod nullus facile orator vel orationum scriptor locos ejusmodi communes, quales sunt, de quibus Cicero l. l. exposuit, saepius in usum suum adhibuit.

De apte dicendo quae leguntur de or. III, 55, 210—213 conferre licet cum iis, in quibus Isocrates inanem esse ait formarum dicendi cognitionem, nisi quis, quo tempore et loco usurpandae sint, perspectum habeat (contr. Soph. § 18)[2]). Imitatio autem quantum valeat ad instituendum oratorem, de eo comparare juvabit de or. II, 22, 92—23, 95 cum Isocr. l. l. et de antid. § 205 et 206.

Aristotelis Rhetoricis praeter ea, quae supra memoravimus, Cicero primum in iis usus est, quae de partibus orationis disputata sunt. De quibus quum illi technographorum ratio minus placeret, Cicero ei assensus est de prooemiis et narrationibus, quorum illa quum attentos et dociles judices reddere deberent, non principii magis quam reliquarum partium propria esse viderentur (de or. II, 79, 323. Aristot. Rhet. III, 14, 6), hae autem judicialium tantum orationum naturae convenirent, neque quod breves esse debere dicerentur, ad omnes pertinere posset orationes (de or. II, 80, 326. 81, 339. Aristot. Rhet. III. 16, 3. 4). Praeterea sunt quae conferri possint: de amplificando: de or. II, 81, 332. Aristot. Rhet. III, 17, 3. de deliberativo genere: de or. II, 82, 334. 337. Aristot. Rhet. I, 6, 1. 8, 1. (cfr. Quintil. III, 8, 1). quae gratissima laus sit: de or. II, 35, 346. Aristot. Rhet. II, 4, 5. de numero orationis solutae ad interspirandi necessitatem revocando: de or. III, 44, 173. Aristot. Rhet. III, 8 6, de fugienda in metaphoris turpitudine: de or. III, 41, 163. Aristot. Rhet. III, 2 13. qui Aristotelis loci ab Ellendtio in editione librorum de orat. Tom. II laudantur.

---

[1]) Cfr. tamen Plat. Phaedr. p. 267, A, ad Tisiam et Gorgiam haec referentem *τά τε σμικρὰ μεγάλα καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιεῖν διὰ ῥώμην λόγυ.*

[2]) Cfr. Plat. Phaedr. p. 272, A.